

concipiendo tanquam entia. Propter has erroneas opiniones & fictiones *precedentes*, putamus postea, infinitum, immortale & talia esse negativa.

## EXERCITATIO XI.

*Simplex de Deo cogitatio sive idea Dei, quæ est in nobis, maxime clara est & distincta.*

I. **Q**Uò plura percipimus rei attributa, eò clariùs ac distinctiùs rem percipimus, unde Theologi docent, Deum perfectiùs cognosci ex Naturæ & Scripturæ volumine simul, quàm ex naturæ tantùm, quia ex Naturæ libro esse & posse Dei, è Scriptura etiam velle ejusdem habetur. Atqui plura Dei attributa novit, qui ejus esse & posse & velle novit simul, quàm qui esse & posse tantùm.

2. Nullum autem ens sub cogitationem nostram cadit, cujus plura & nobiliora attributa percipiamus, quàm Dei, dum enim summè perfectum cogitamus non modò cunctas perceptibiles perfectiones ei in se spectato, tanquam proprietates *absolutas*, attribuimus; verùm etiam intuitu aliarum rerum omnium, quæ menti nostræ uspiam occurrunt, eidem omnes